



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 128. Regis edictum contra Protestantes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1568

lites amiferunt, quamvis eorum victoriæ longe illatam cladem superarent, unde etiam eorum factio indies numero & potentia augebatur.

§. CXXVIII.

Regis edictum contra Protestantes.

*Thu. l. c.
Recueil de ce
qui s'est fait
contre les
Protestants
par le Fevre
p. 22.*

Ad prima hujus belli auspicia Andegavenfi Duci regii exercitus imperium deferabatur; postea vero Rex diploma per provincias transmittendum curaverat, quo omnes Protestantes æque, ac alios suæ ditionis populos in suam tutelam recipiebat, si tantum sedomi pacatos continerent, facultate eis facta de injuriis exposulandi, ad quas ut ex æquo, & bono remedia expedirentur, Præsidibus enixe, ac speciose mandabatur, sed cum Regina Mater, ac Lotharingius Cardinalis viderent nobilitatem, ac ceteros, qui arma ferre consueverunt, nihil illo rescripto permoveri, & cum verba sibi dari, imo hac ipsa declaratione sibi insidias strui crederent, aliunde vero Protestantium exercitus universum ferme regnum seditiosis armis involveret, hinc Regina æque, ac Cardinalis Regi authores extiterent, ut edictum adhuc severius promulgaret, quo omnibus, cujuscunque conditionis sint, per universum regnum alius, præterquam Catholicæ, ac Romanæ

manæ Religionis, quam Majores ejus coluerint, & nunc ipse colat, utus, statuta capitis, fortunarumque pœna interdicebatur, simulque decernebatur, ut omnes illius sectæ ministri intra quindecim dies ab edicti illius promulgatione omnibus Regni finibus excedant.

Hoc edictum fuit promulgatum exeunte Mense septembri: cum autem eodem Protestantes tanquam specioso omnes urbes, ut supra meminimus, occupandi prætextu abuterentur, hanc illud communi omnium consensu ab Aulicis non fuit receptum; plures enim inter Regni Proceres, quamvis ceteroquin antiquæ Religionis addictissimi remedium magis moderatum adhiberi exoptabant, quos inter præcipui erant Borbonius Cardinalis, Montmorentii Marecalli, Hospitalius Cancellarius, pluresque alii, qui tum passim *Politici* nuncupari cœperant, quod invidiosum nomen ipsis Regina imposuerat, cum a pluribus pro hæreticorum fautoribus haberentur.

§. CXXIX.

Aliud edictum contra eos circa Magistratus.

Nihilominus Rex tertium adhuc addidit edictum, quo præcipiebatur, ut omnes Religionem reformatam profiten-

Sæcul. XVI.
A. C. 1568.

Thuan. l. 44.
Dupleix t. 3.
pag. 740.